

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Monstris Et Monstrosis, Qvam Mirabilis, Bonvs, Et
Ivstvs, In Mvndo Administrando, Sit Devs, Monstrantibvs**

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1647

§. 11. Auium exoticarum monstra.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51168](#)

Collegij procurator exscindi, & in frusta secari iussit, in singulis incisionibus tota militum agmina expressa apparuerunt; inter quos tympanotribæ, signiferi, duces alijque milites Borussorum & Polonorum more amicti non aliter, quam si ex industria depicti essent, conspiciebantur. Terra olim Cadmea segete hastatos genuisse fingebar, quis miretur nunc vbique bella geri, si nobis milites in arboribus crescunt? Et sanè hi de plantis milites lignei, veros post se milites traxerunt. Nec fabula est de his ligneis militibus, Petrus enim Huestius partes ligni illius ostendit & oculos, quibus plurimum credimus, testes adhibuit.

§. XI.

Auium exoticarum monstra.

Si ad animalia veniamus, copia numero caret. Et auium quidem vel auspicia, vel auguria, suo iure remittimus ad superstitiones. Arcesilao regnum tenente, candus coruus apparuit, de quo graue responsum ferebatur. Et mox ad Democratiam status ciuitatis recidit; Bessus cùm ad Hesperidas decessisset, occisus est. Faustior coruo albo fuit Onacrotalus, auis cygno multò

Herodot.
lib. 4.

multò maior: quam Culmannus Geppinensis scribit, in omnibus expeditionibus, circa An. 1509. Maximiliano Romanorum regi præcessisse, ac castris quasi locum signasse. Quamobrem ea avis mansuetissima in aula Cæsaris, quam ipsa sibi visa est elegisse, boni ominis spe, debito victu, multis annis, sustentata est. Visa est etiam eadem à pluribus Mechliniæ attenta. Posset hîc recenseri avis in Hispania in vrbe Ambgenita, Anno Seruatoris 1628. plumbeis glandibus deiecta, & Comiti, Schafgotio missa, viginti septem pedes longa: quæ in fronte oculum humatum, caput autem bouinum habuit, & verò etiam bouis instar mugit. Ceterum in vicem aurium flaccidarum alæ dependebant; verticicornuta vitta, tergo tuber testudineum, pectori lorica, & his asperi aculei, caudæ gemini enses, collo monile carnatum, corallio haud absimile, munimen addiderunt. Hæc, & plura de hac avè possent hîc recenseri ex Mercurio Germanico Valentini Pistoris, sed litteræ, & alia non me sinunt coniucere, quid sinistri monstrum hoc portenderit. Quanquam enim quispiam rectè dixerit: *Væ mihi quia tacui,*

Culman:
in epistola
ad Gesne-
rum,

Mercur.
German.
Valentini
Pistoris
in Seme-
stri Anno
1628. &

An. 1629.

tacui, præstat tamen etiam subinde silere,
quàm ingratij*s* aliorum diuinare.

§. XII.

Apum, formicarum, aliaque monstra infan-
tium faustorum præsagia.

Val. Max.
lib. 1, c. 6.
n. 3. Ex-
tern.

Volucribus adiungi possunt & apes
Platonis, quæ, vt historicus ait, aeternæ
felicitatis indices extiterunt, dormientis in
eunis paruuli labellis mel inferendo. Quare
audita, prodigiorum interpretes singularem
eloquij suavitatem ore eius emanaturā dixe-
runt. At mihi quidem illæ apes non montem
Hymettum thymi flore redolentem; sed Musa-
rum Heliconios colles omni genere doctrina vi-
rentes, dearum instinctu depastæ, maximo
ingenio dulcissima alimenta summa eloquentia
instillasse videntur. Quod ostentum etiam
euénit Ambrosio, qui non alia de causa
pingitur alueari apposito insignis, quàm
quòd ad os illius adhuc infantis apum exa-
men aduolârit, iam tum mellei oris dul-
cedinem libantes. Quod omen in futuro
tam sancto viro eò dignius credibiliusque
extitit, quia vel apud Ethnicos paria con-
tigerunt. Mida enim etiam, cuius imperio
Phrygia fuit subiecta, puero dormienti formi-
ca in os grana tritici congesserunt. Parentibus

Idem Va-
ler. loc.
cit.

deinde